



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Alexētērion id est Historia Pestis

Stengel, Carl

Augustae Vindelicorum, 1614

Alia oratio tempore pestis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49838](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49838)

quatenus possimus contra omnes diabolicas insidias viriliter dimicare, mundum & ea quæ in mundo sunt, omninò despiciere, & nulla eius aduersa formidare, superbiam quoque & vanam gloriam cum omnibus vitijs superare, & quæ à te iussa sunt recta intentione perficere. Per Dominum.

ALIA ORATIO TEMPORE PESTIS.

NON sunt nobis remotæ causæ, Domine Deus, Pater iustissime tantam esse rebellionem omnium ferè creaturarum in vnum hominem, cui (si omnia creationis modo constarent) obedire, & subesse debeant: nunc terremotus, nunc tonitru, nunc eluuiæ, nunc coniunctiones siderũ nocentissimæ, nunc infectio aëris, quotidie noua atque alia audiuntur mala. Sed hæc pæna, quod munificentia tuæ donis abutimur, mandata tua transgredimur, quod minis non deterremur, promissis non allicimur.

Agnoscamus histe castigationibus terrenis hisce nos abducere, ad cælesti

un

um desideria attrahere; & in hoc creaturas tuas tibi obsequi. Memor esto in magna hac ira tua misericordiarum tuarū, & contagij malum, quod tua ira in nos effusum est, tolle propitius. Nullum enim malum pestilens aër importabit, si omnigenis peccatis bellum indixerimus. Omnia tamen abs te Patre pijsimo sunt, & quod corpore à contagio hoc securi, & quod anima à peccati malo tuti sumus.

Etsi autem alij huius vitæ amore detenti in mortalitatis eiusmodi periculis huc illucque opem implorantes discurrunt; tamen à nemine rectius, tutiusque petitur auxilium, quam abs te vno: cuius potentiam nemo potest effugere, qui nos in gratiam recipies, cum neminem non suscipis in tua bonitate sperantem. Ad te igitur clamamus Domine, exaudi preces & orationes nostras, vt liberet nos ab hac plaga pestiferâ & funestâ. Precipe Angelo tuo percutienti nos, vt recondat gladium suum in vaginam, ne nos feriat vsque ad consummationem: ne facias progressionem iræ tuæ, parce anima-

nima-

nimab⁹ nostris, & ne concludas nos peste.

Reuertere, reuertere Domine, & deprecabilis esto super seruos tuos: aufer à nobis hanc inclementiam cœli, & in salubritatem loci, ne aër infectus noxam, qua afficitur, in nostrā perniciem effundat. O Domine, vertatur quęso manus tua, sufficit iam, cesset nunc manus tua, vt sciat omnis terra, quia tu es Domine Deus noster, & quia nomen tuum inuocatum est super nos, Amen.

F I N I S.

Augustæ Vindelicorum, Typis

Chrysofomi Daberij.

Collegij Societ. Iesu Paderb. 1625

ANNO M. DC. XIV.